Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-329246-p0001-6

Nab. 29.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-329246-p0002-1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-329246-p0003-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-329246-p0004-3

# DISPVTATIO AN PECCATVM ORIGINIS SIT SVBSTANTIA VEL ACCIDENS.

INTER

TILEMANVM HESHVSIVM *EPISCOPVM SAMBIENSEM.*

*ET*

RECENTES MANICHÆOS, *QVI ILLYRICI SENTENTIAM SEQVVNTVR.*

Item/

Verzeichniß des Geſprechs/ zwiſchen D. Tilema. Heßhuſio vnd Joh. Fri. Coeleſtino. Von Der Erbſünde.

*REGIOMONTE BORVSSORVM*

*typis hæredum Iohannis Daubmanni.*

1574.

# REVERENDIS ET ORNATISSIMIS VIRIS, ERVDITIONE ET PIETATE PRAESTANTIBVS, M. BARTHOLOMÆO

*Roſino Superintendenti, & reliquis miniſtris Eccleſiæ Ratisbonenſis, fratribus ſuis in Domino colendis.*

SALutem à Filio Dei Immanuele. *Reuerendi uiri, fratres dilecti. Piæ menti obſeruandum, & diligenti cogitatione ſæpe repetendum eſt, unde initium ſumpſerit hæc grauis controuerſia, quam Illyricus mouet de peccato originis, quomodo incrementa acceperit, & quò tandem progreſſa ſit. Habet enim hîc Eccleſia quod mentem eius erudiat, prudentiam acuat, & diligentiam in ea exuſcitet.*

*Anno* 1560. *in diſputatione Vinarienſi de Libero Arbitrio, exciderat Illyrico hæc loquendi formula: Peccatum originis non eſſe Accidens, ſed Subſtantiam. Cùm á Collegis admoneretur hac de re, ita ſeſe excuſauit: Iſta ſibi inter diſputandum excidiſſe. Verùm, quia poſtea eam repetiuit, & adſerere conatus eſt, Collegæ*

eius (inter quos Doctor Iohannes VVigandus fuit) oſtenderunt, ſibi diſplicere nouas induci Phraſes, & nouo certamini occaſionem præberi. Nemo tum ſuſpicabatur aut metuebat Illyricum alere errorem, & in Eccleſia turbas excitaturum eſſe. In id intentæ erant Collegarum mentes, quod Illyricus ex uerbo Dei grauiter & neruoſe retunderet Victorini ſophiſticam Synergiam.

Diſputatione peracta per literas cum amicis cœpit συζητεῖν Illyricus de hac quæſtione: Vtrum Peccatum originis ſit Subſtantia, uel Accidens: paſſim conquiſiuit ſuffragia, & adprobationem ſui inuenti. Ac certè pij & docti aliquot homines priusquam attendiſſent, quid ſibi hæc noua phraſis uellet, tantùm intuentes Illyrici laborem, quo refellebat impium Synergiſtarum commentum (ut in primo controuerſiarum exordio ſæpe accidere ſolet) ſignificauerunt, ſibi non diſplicere formam iſtam loquendi: Peccatum enim originis non poſſe ſatis grauiter exaggerari. Erant autem qui rectius rem perpenderent, & Illyricum monerent, ut deſiſteret ab iſta noua phraſi, eumq́ per literas ex ſolidis fundamentis confutarent. Hactenus illæſa manſit concordia, neq́ hæc contentio ad Eccleſiam dimanauit.

Poſt aliquot annos ſpretis multorum fratrum pijs

admonitio-

admonitionibus & obteſtationibus Illyricus, Tractatum ſcribit de peccato originis, in quo probare conatur: Peccatum originis non eſſe Accidens, ſed Subſtantiam, hunc magno uolumini (cui titulus eſt, Clauis ſcripturæ) inſerit. Emittit & alios libellos in lucem in huius nouæ opinionis patrocinium. Hic facem diſsidiorum in ipſam Eccleſiam coniecit, & triſte incendium ſuſcitauit.

Anteceſſor meus D. Ioachimus Morlinus Epiſcopus Sambienſis felicis memoriæ cum D. Chemnicio primus publicè taxauit hunc pernicioſum errorem, & Eccleſiam Chriſti bona fide monuit, ut ſibi caueret. Alios quoq; excitauit Deus Doctores, qui monſtratis fundamentis ueræ ſententiæ, & patefactis cauſis erroris, Illyricum publicè refutarunt. Tantum abeſt ut Illyricus locum dederit ueritati, ut ſubinde nouos emiſerit in publicum libros: cumulârit errores: ad conuicia ſeſe conuerterit: palàm indixerit bellum Eccleſiæ: ex ſocio in adſerenda ueritate, factus ſit hoſtis fidelium Doctorum: & ſummis uiribus hoc tentet, ut paſsim turbet Eccleſias ſuo prodigioſo dogmate. Huc tandem euaſit ab exiguis initijs progreſſa controuerſia.

Vident ergo piæ mentes, nimis uere dictum eſſe: ἐξ ὀλίγου τὰ πολλά. Et hoc in primis ad Eccleſiæ certamina pertinere. Socrates hiſtoricus ſuorum temporum con-

trouerſias referens, inquit: Ἀπὸ σμικροῦ σπινθῆρος μέγα πῦρ ἀνά-
πτεται Ex parua ſcintilla magnus ignis accenditur. Non ergo contemnenda ſunt diſsidia de Religione, quæ initiò parua, & nullius momenti eſſe uidentur. Parum fermenti totam maſſam inficit, teſte Paulo. Principijs ergo obſiſtendum eſt: Inſidiæ & furor Satanæ cauendus eſt. Fides moram non patitur (ut ille inquit) Illicò ut Scorpius adparuerit, conterendus eſt. Vigilandum & orandum eſt, ne Satanas nobis ſecurè dormientibus incendium in Eccleſia excitet.

Quis uerò exiſtimaret, errorem tam craſſum, impium & ſtolidum, primùm uerbo Dei, deinde etiam rationi contrarium, in Eccleſia Filij Dei apud homines eruditos & doctrina Apoſtolorum imbutos, adplauſum inuenturum eſſe? Monſtri hoc ſimile eſt. Illyricus docet, Peccatum originis eſſe ſubſtantiam, cor ipſum & animam hominis. Contendit, Satanam eſſe conditorem ueteris hominis. Adſerit, hominem lapſum & non renatum eſſe creaturam Satanæ. Scribit & repetit, opus Dei in homine nec poſſe, nec debere ab opere Satanæ diſcerni. Adfirmat, peccatum originis partim à Deo, partim à Satana eſſe. Prolixè diſputat, peccatum originis eſſe quiddam intelligens, præditum ratione, & agens cum deliberatione. Negat Nam carnem Ieſu Chriſti eiuſ-

dem

dem eſſe ſpeciei cum noſtra. *Huiuſmodi portenta & furores publicè audiri in Eccleſia Chriſti, & tolerari cum adplauſu quorundam, magno apud me argumento eſt, non procul abeſſe glorioſum illum aduentum Filij Dei, qui iſtis & ſimilibus blaſphemijs & furoribus finem eſt impoſiturus. Nam Sol iſte amplius adſpicere nequit tantam hominum petulantiam, impietatem & obſtinatam malitiam. Interea autem noſtri muneris eſt, teſtimonium dare ueritati, & indefeſſo animo obſtruere ora Hæreticorum.*

Cùm ergo ante triennium amicus quidam à recentibus Manichæis accepiſſet præcipua robora argumentorum Illyrici, quibus is maximè in ſua cauſa fideret, eaq́ꝫ mihi communicaſſet: oppoſui ſingulis membris refutationem breuem & ſolidam. Sic enim ſuas argumentationes adornauerat uel Illyricus, uel eius diſcipulus, ut digito oſtenderet, ad quæ mox reſponderi uellet. Huius Collationis ſeu Diſputationus editionem impediuit tum Scholæ Ienenſis triſtis caſus. Quia uerò paſtores pij & docti, qui eam apud me uiderunt, publicari petunt ut fœnus exerceat, adſenſus ſum, & opto, ut cum fructu exeat in omnem terram.

Vobis

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-329246-p0011-1

*Vobis uero Reuerendi & Ornatiſsimi uiri, uiſum eſt hanc diſputationem contra furores Manichæorum recentium inſcribere, hanc ob cauſam potiſsimum: Quia relatum eſt mihi, celeberrimam Eccleſiam Ratisbonenſem, quam temeritas, inſcitia, & impietas recentium Manichæorum grauiter turbauerat, ueſtra fideli opera, & pio ſtudio adſerendi incorruptam ueritatem reſtitutam eſſe, hac ſcriptione conſenſum inter nos teſtari uolui, & animos ueſtros in agnita ueritate confirmare.*

*Filius Dei unicus Eccleſiæ cuſtos, regat nos perpetuò ſuo Spiritu ſancto, ueſtras dignitates cum Inclyto & pio Senatu, ac tota Eccleſia Ratisbonenſi, quam Eximius uir Nicolaus Gallus felicis memoriæ fideliter & recte erudiuit, ad nominis ſui gloriam diutiſsimè clementer conſeruet. AMEN. Regiomonte Boruſſorum. 1574. 10. Decemb.*

*Tilemanus Heshuſius*
*Epiſcopus Sambienſis*
*frater ueſter in Domino.*

# DISPVTATIO AN PECCATVM ORIGINIS SIT SVBSTANTIA, VEL ACCIDENS.

## Oppoſitio Manichæorum recentium.

Primum Argumentum quo probatur ipſam corruptam naturam hominis, ipſam uidelicet formalem eſſentiam, quæ eſt anima rationalis ſeu (ut Scriptura & Theologia loquitur) Cor hominis eſſe fontem fontium, & originem peccatorum actualium ſeu (quod idem eſt) peccatum Originale.

## Refutatio Tilemani Heshuſij Epiſcopi Sambienſis.

*Sacra ſcriptura & Theologia ſic non loquuntur, animam rationalem, ſeu Cor hominis eſſe ipſum peccatum originis: hæc nimis temerè adſeruntur, nec probari poſſunt. Ex corde egredi peccata, Chriſtus teſtatur Matth. 15. Sed cor ipſum eſſe peccatum originis, nec Chriſtus, nec ullus Propheta, uel Apoſtolus dicit: Falſò igitur & nimis audacter Scripturæ tribuitur, quod eſt cerebri humani.*

## Oppoſitio Manichæorum recentium.

Id quod in homine primus fons, ſeu fons fontium, cauſa, radix, Scaturigo & origo eſt omnium, omnis generis actualium peccatorum: ex quo ſcilicet fonte ac radice ſcaturiant, deriuentur & oriantur omnia omnino actualia peccata, interna & externa, illud ipſum in homine eſt peccatum originale: nam hæc conuertuntur, ut definitio ac definitum, ſeu, ut Synonyma: Secundum ue-

gerem & conſtantem doctrinam Reuerendi & Clariſsimi uiri Doctoris Wigandi, ex cuius ſcriptis euidentiſsima & clariſsima teſtimonia adduxi & adſcripſi.

## Refutatio Heshuſij Epiſcopi.

Planè & diſertè reſpondeo: maior propoſitio in hoc argumento cum ſigno uniuerſali falſiſſima eſt. Nam ſcriptura ſacra non tantùm dicit, prauitatem naturæ ſeu peccatum Originis eſſe fontem actualium peccatorũ: ſed etiam ſubiectum, utpote cor in quo hæret peccatũ Originis, appellat fontem omnium actualium delictorum: Si particulariter ponatur: Aliquid quod eſt fons actualium delictorum, eſt peccatum Originis: rectè dicitur. Nam Paulus inquit, peccatum generauit in me omnem concupiſcentiam, Rom. 7. Sed cùm dicitur cum ſigno uniuerſali. Omne quod eſt fons actualium peccatorum, eſt peccatum originis: falſa eſt oratio, & refutatur dicto Chriſti ſuprà citato, ex corde egrediuntur, &c. Certè diuerſæ locutiones ſunt, cùm de ſubiecto quid dicitur, & cùm de ſubiecti prauitate quid aſſeritur. Cum Chriſtus dicit ex corde egrediũtur malæ cogitationes de ipſa cauſa efficiente actualium peccatorum loquitur. Cùm uerò dicitur: peccatum originis eſt cauſa actualium peccatorum, cauſa inſtrumentalis potius monſtratur, quã cauſa efficiens: quia propriè loquendo, ſubſtantiæ ſunt efficaces per accidentia. Quod ſi contendas, peccatum originis eſſe cauſam efficientem, ſit ita ſanè, non pugno: Sed tamen fateri neceſſe eſt, aliter dici, ipſum cor eſſe cauſam peccatorum: aliter, uitium in corde eſſe peccatorum cauſam. Aliter enim ſubſtantia agit, aliter uicium. Non igitur ſunt conuertibilia ut definitum & definitio. Nam hìc multo latior eſt definitio definito. Cum dicitur: peccatum Originis eſt omne id, quod eſt cauſa fons peccatorum actualium. Definitio enim etiam ipſum cor à Deo conditum complectitur. Et cùm peccati originalis definitio urgenda eſt, integra & plena eſt ponenda: Videlicet, peccatum originis eſt reatus, quo omnes poſteri Adæ propter lapſum primorum parentum obſtricti tenentur: & eſt totius humanæ naturæ & omnium uirium corruptio, uidelicet, amiſſio lucis in mente, & horrendæ tenebræ: auerſio uoluntatis à Deo & malitia: & in corde contumacia & inimicitia aduerſus Deum, quod malum carnali propagatione transfunditur in omnes ho-

mines

*mines: Eſt cauſa omnium malorum, & propter hanc prauitatem omnes rei ſumus æternarum pœnarum.* *Huiuſmodi, uel ſimilis integra definitio ponenda eſt, cùm argumentari uolumus à definitione ad definitum, uel econtra.* *Synonyma etiam non ſunt peccatum Originis, & cauſa peccatorum actualium, hoc enim patet latius, uidelicet ſubiectum ipſum ſimul complectens, atq; etiam uitium in ſubiecto.*

# Oppoſitio Manichæorum recentium.

## *Corpus doctrinæ ex Veteri Teſtamento fol: 488.*

Peccatum originis eſt fons & ſcaturigo omnium peccatorum interiorum & exteriorum, contra primam & ſecundam Decalogi tabulam. Vnde & eodem loco & folio traditur, actualia peccata eſſe fructus peccati originalis tam quidem exteriores quã interiores. Et corpus doctrinæ, ex N. T fol. 670. Et Method. VVigandi cap. 6. in definitione peccati originalis idem docet, quod uidelicet inde omnis generis peccata, contra Dei præcepta ſcaturiant. Et paulo poſt in eodem libro & cap. denuo hoc inculcatur his uerbis. Peccatum originis eſt quaſi uberrima ſcaturigo, ex qua peccata interna & externa, contra primã & ſecundam Decalogi tabulã, promanant. Et paulo poſt eleganter ibidem. Actualia peccata ſunt peccati originalis malitioſi fructus, exteriores & interiores &c. Et ibidem paulo ante finem iſtius capitis: Inde (ex peccato originis) malitioſi fructus, tum interiores, tum exteriores copioſe emanant. Et in eiusdem D. VVigand. libro γνῶθι σεαυτόν, fol. 222. Sic dicitur. Cum fons peccatorũ nempe labes originalis, in renatis adhuc maneat, ſubinde ebulliunt peccata. Et (ne in ueteribus huius autores ſcriptis allegandis ſim iuſto uerboſior) in proximis poſitionibus de peccato, ſuam hanc uerã & propriã ſententiam repetijt, poſitione 14. & recte conſtanterq; docuit, peccatum originale eſſe fontẽ & ſcaturiginẽ omniũ peccatorũ, atq; ideo etiã dici & nominari peccatũ originale. Et poſitioẽ 130. diſertiſsime cõfirmat, peccata actualia eſſe omnis generis peccata, interiora & exteriora e peccato originis cõtra legẽ Dei pullulantia. Et poſitione 141. idem repetit & denuo

 inculcat,

inculcat, peccata actualia inde etiam nomen accepiſſe, quod ſint fructus peccati originalis. Apparet igitur ex Doctrina D. Wigandi (ut de ſanctiſsimi & maximi Prophetæ noſtri Lutheri, & aliorum orthodoxorum, atq; etiam Synergiſtarum teſtimonijs, in re manifeſta non dicam,) Originale peccatum eſſe cauſam efficientem, radicem, fontem & originem omnium peccatorum actualium: & e cõuerſo, actualia peccata eſſe effectus & fructus peccati originalis

## Reſponſio Heshuſij Epiſcopi.

*Hæc omnia concedo ingenuè & candidè: Sunt enim ueriſsima omnia quæ hic ex D. VVigandi libris citantur. Peccatum originis uerè eſt fons & ſcaturigo omnium actualium peccatorum, exteriorum & interiorum: & omnia peccata actualia ſunt malitioſi fructus peccati originalis, an quiſquam noſtrum hæc unquam uel impugnauit, uel in dubium uocauit? Quid ergo opus erat tam prolixa probatione? Sed nuſquam hæc dicit VVigandus cum ſigno uniuerſali. Omne quod eſt fons actualium peccatorum eſt peccatum originis? nam Chriſtus de corde idem proprijſsimè & ſignificantiſsimè dicit: Cùm tamen peccatum originis non ſit ipſum cor. Dolus igitur ſeu hallucinatio in eo latet, quòd ex particulari propoſitione uniuerſalis conſtituitur. Ex puris igitur particularibus nihil ſequitur. Facile adparet Illyricum hoc Argumento ueluti faſcino irretitum teneri. Verum attendere debebat ad noſtram ſolutionem, monſtramus ubi impingat, particularem ſententiam pro uniuerſali accipit. Aliquid quod eſt fons actualium peccatorum, eſt peccatum originis. Hoc concedimus. Sed cùm ille dicit. Omne quod eſt fons actualium peccatorum, eſt peccatum originis, non concedimus: quia pugnat cum uerbo Dei, ut ſuprà monſtrauimus. Simile demus exemplum, ut minus exercitatis ſeruiamus.*

*Conſtat & notiſsimum eſt in Eccleſia, ex uerbo promiſsionis omnem nobis ſalutem uenire. Iam ſi quis ita argumentaretur? Ex quocunq; nobis omnis ueniet ſalus eſt promiſsio Euangelij, mox hallucinaretur. Particularis enim, non uniuerſalis eſt propoſitio. Aliquid ex quo omnis ſalus nobis uenit, eſt promiſsio Euangelij. Nam & à Chriſto uenit nobis omnis ſalus: Et tamen externum uerbum promiſsionis non eſt ipſe Chriſtus Filius Dei. Chriſtus eſt cauſa efficiens noſtræ ſalutis: Verbum promiſsionis, inſtrumentalis. Non*

*ſunt*

*ſunt termini conuertibiles, cauſa ſalutis, & promiſsio Euangelij: ſic, non ſunt termini conuertibiles, eſſe fontem actualium peccatorum, & peccatum originis. Euoluat ergo ſeſe Illyricus ex hoc laqueo quem ipſe nexuit, & ſibi ipſi iniecit.*

## Oppoſitio Manichæorum recentium.

Ipſum autem Cor (qua appellatione Scriptura animam cum ſuis facultatibus & uiribus, & mentem & uoluntatem cum omnibus appetitionibus complectitur, ut recte & uſitate cum ueteribus & Orthodoxis Theologis tradit Morlinus, ſuperioris diſputationis poſitione 47.) eſt primus fons, ſeu fons fontium, cauſa, & origo peccatorum actualium, internorum & externorum, cuiuſcunque illa ſint generis.

## Reſponſio Heshuſij Epiſcopi.

*Et hoc eſt uerißimum: nam ſic Dominus noſter Ieſus Chriſtus fons omnis ueritatis locutus eſt, Matth. 15. Ex corde egrediuntur &c. Sed cùm Argumentum procedat ex puris particularibus, nulla eſt connexio, ut in hoc ſimplicißimo Syllogiſmo uidere eſt.*

*Aliquid quod eſt fons peccatorum actualium, eſt peccatum originis.*
*Sed Cor eſt fons actualium peccatorum.*
*Ergo Cor eſt peccatum originis.*

*℞ Ex puris particularibus nihil ſequitur. Maior enim intelligenda eſt de uicioſitate & prauitate cordis, de defectu & concupiſcentia nobiſcum nata. Minor uerò loquitur de ſubiecto in quo prauitas illa hæret. Atque ita quatuor termini manifeſtè conſpiciuntur. Quod ſi quis contendat, Maiorem eſſe uniuerſalem: is turpiter errat, fallit & fallitur: nam Chriſtus etiam de corde dicit, quòd ſit cauſa peccatorum actualium: Cùm tamen manifeſtißimum ſit, quòd aliud ſit ſubſtantia cordis condita à Deo: & aliud uitium, defectus, morbus, mors & peccatum in ſubſtantia, & totam deprauans ſubſtantiam.*

# Oppoſitio Manichæorum.

## *Corpus Doctrinæ ex nouo Teſt. fol:* 120.

Ex corde enim peccata actualia omnia interna & externa, tanquam ex fonte uenenato emanant: Secundum doctrinam Saluatoris Math: 15. & Marci 7. Et eodem libro fol. 670 recte docetur Ipſam deprauatam naturam idem eſſe, quod peccatum originale, & eſſe Synonyma, nam ſic diſerte ibi dicitur in titulo de peccato actuali, Par. pri. Ignorant & hanc uocem Apoſtoli ( ſcilicet peccati actualis, ſicut & peccati originalis ) ſed tamen diſcernunt res ipſas, hoc eſt, naturam deprauatam, & fructus inde promanantes. Et idem ijsdem pene uerbis inculcant fol. 121. in titu: de Act. pecc. Par. pri. his uerbis: Ignorant & hanc appellationem Euangeliſtæ ( ſcilicet actualis peccati, ſicut & originalis ) ſed diſcernunt tamen res ipſas, hoc eſt, naturā deprauatā, & fructus inde prouenientes. In quibus locis, ipſa natura & peccatum originale, & fructus naturæ, & peccata actualia, pro Synonymis ponuntur: Cum quidem id cum ſacris etiam literis conueniat, ex quibus ab orthodoxis demonſtratur, ipſam naturam humanam, ipſam formalem eſſentiam, nempe animam ſeu cor, eſſe radicem ſeu arborem iſtam, quæ originale peccatum dici ſolet, & quæ fructus illos ferat, qua actualia peccata nominatur. Porro idem claris & perſpicuis uerbis repetitur fol 672. ubi dicitur: Cauſam peccatorum actualium eſſe peccatum originis, ſeu deprauatam naturam, &c. Et fol. 662. in definitione peccati Originalis clare dicitur, peccatum originis eſſe deprauatam naturam, fontem & ſcaturiginem omnium cogitationum, affectuum, cupiditatum & operum contra legem Dei. Diſertiſsime uero omnium hæc explicat & inculcat ipſe D. Heshuſius, analyſi 9. ubi docet Cor ipſum corruptū primorum parentum peccato, ipſam mentem ex cæcatam, ipſam uoluntatem peruerſam, & ( omnia una uoce complectendo ) ipſam animam DEO & legi inimicam, eſſe ueram cauſam efficientem, fontem & ſcaturiginem omnium actualium peccatorum, quandoquidem ea omnes motus in corpore & anima efficiat. Ideoq; Chriſti Saluatoris locutiones Matth. 15. & Lucæ 6. proprias eſſe, & non figuratas. Et Analyſi 10. denuo idem demonſtrat, quod Chriſtus Matth. 15. oſtendat, efficientem cauſam actualium peccatorum eſſe ipſam corruptam cordis humani ſubſtantiam, &c. & paulo

poſt

poſt idem ſignificantiſsime exponit his uerbis: Subſtantia animæ, hominis uere eſt cauſa actualium peccatorum, nam( ut mox ſequitur ) anima eſt, quæ ciet, regit & impellit cor humanum. Et tandem ſub finem iſtius Analyſis denuo confirmatur, negari non debere, quod ipſa anima corrupta, ſit cauſa actualium peccatorum. Et idem adhuc amplius repetitur in Analyſi 19. Cor prauum & malus animus ſicut poſitiuum malum & cauſa efficiens peccatorum, & fons fontium omnium malorum. Vt omnino uerum ſit, quod ubiq; ſcriptura clamitat, & Lutherus omnium diligentiſsime inculcat, ipſum cor, ſeu( quod idem eſt) ipſam mentem ſeu rationem, & uoluntatem cum ſuis appetitionibus, id eſt, ipſam animam, ſeu ipſam corruptam naturam, ſeu ſubſtantiam formalē hominis, eſſe cauſam efficientem, radicem, ſcaturiginē, genitricem illā & fontem fontium omnium peccatorum internorum & externorum, & e conuerſo, peccata actualia eſſe effectus ſeu fructus ipſius corruptæ naturæ, ſeu ſubſtantiæ naturæ formalis, quæ eſt anima: quod & Philipp. cum alibi, tum in prioribus & poſterioribus docet his uerbis, peccata actualia ſunt fructus uitioſæ naturæ, hoc eſt, affectus, cogitata dicta, facta contra legem Dei.

## Refutatio Heshuſ. Epiſ.

*In hac pericope Illyricus mirabiliter miſcet ueris falſa: rectis impropria: Sed hoc imprimis agit, ut ex ſyntagmate D. VVigandi probet, ipſam naturam hominis eſſe peccatum originis. Verùm, Illyricus hac in re non agit candidè, probe ſcit enim, D. VVigandum ſemper aduerſatum eſſe iſti errori, quòd peccatum originis ſit ſubſtantia, uel, quod ipſa hominis anima uel cor ſit peccatum originis. Sæpiſsimè hoc teſtatus eſt D. VVigandus ab Illy: cùm uoce tum ſcriptis, & ſolidè eius commentum refutauit. Qua erga conſcienia allegat Illyricus teſtimonium VVigandi, quem ſcit ex animo deteſtari illum errorem? Ad citatas uerò phraſes ex D. VVigandi corpore, ingenuè & candidè reſpondeo: Nemo noſtrum tam circumſpectè ſemper loquitur, quin ei excidant aliquando præter uoluntatem quædam ἀκυρολογίαι: quales & in ueteribus & recentioribus ſcriptoribus multæ paſsim reperiuntur. Et priuſquam mota ſunt certamina, etiam pij & eruditi doctores minus circūſpectè loquuntur: dum non uſquam adeò cauti metuunt omnes inſidias, neq; ſatis proprietatem uerborum( inprimis neceſſariam in controuerſijs de religione) attendunt.*

Motis

Motis uerò certaminibus pij doctores & corrigunt impropriè dicta, & accuratius loquuntur. Candidè igitur fatetur D. VVigandus, nec propriè, nec rectè à ſe dictum eſſe, ipſam deprauatam naturam eſſe peccatum originis, & eſſe Synonyma. Hoc autem uoluit dicere: totam naturam hominum per peccatum originis deprauatam eſſe: & ipſam deprauationem naturæ ſeu uitioſitatem φύσει & natiuitate contractam, eſſe peccatum originis, quod omnia peccata actualia producit & gignit. Admonitus igitur controuerſiam quam mouet Illyricus, ſic piè correxit D. VVigandus hanc ἀκυρολογίαν: uidelicet, ipſam naturæ humanæ deprauationem & deſtructionem eſſe peccatum originis, & hæc tamen nondum ſunt Synonyma: nam peccatum originis etiam reatum propter lapſum Adæ complectitur, atq; ita latius patet, quàm uocabulum deprauationis. Inſpiciat Lector libellum VVigandi, cui titulum fecit. Rationes cur hæc propoſitio: peccatum originis eſt corrupta natura, nequeat conſiſtere. In quo E. 3. hæc ponit uerba. Ego VVigandus ingenuè ſignifico, hæc uerba ſic corrigenda eſſe: ut pro corrupta natura ponatur corruptio naturæ. Quod dicit Illyricus conuenire id cum ſacris literis, cùm dicitur, ipſam naturam deprauatam eſſe peccatum originis: falſum eſt. Sacræ enim literæ accuratè diſtinguunt inter ſubſtantiam cordis conditam à Deo: & malitiam ſeu prauitatem cordis inuectam à Satana. De cordis ſubſtantia etiam in impijs & malis dicit Spiritus ſanctus. Qui finxit ſigillatim corda eorum Pſalm. 33. De malitia uerò cordis ſcriptura dicit, perditio tua ex te eſt Iſrael, in me tantùm ſalus tua. Oseæ. 13. Item: Peccatum Iuda ſcriptū eſt ſtylo ferreo & ungue adamantino in tabulis cordis ueſtri. Iere. 17. Contra ſacram ſcripturam eſt igitur, quod Illyricus contendit. Quod deinde attexit, cor eſſe fontem peccatorum, & ipſam deprauatam naturam cauſam omnium malorum, & certiſsimum eſt, & à nemine noſtrûm negatur: Illyrici uerò errori de ſubſtantiali peccato, prorſus nihil patrocinatur. Diuerſa enim ſunt: Eſſe cauſam ſeu fontem actualium peccatorum, & eſſe ipſum peccatum originis.

## Concluſio Manichæorum recentium.

Cor igitur ipſum, ſeu mens & uoluntas quæ eſt anima rationalis, & præſtantiſsima atq; optima pars hominis, mouens, regens & guber-

gubernans corpus & omnia membra hominis interna, & externa, & ipſa una & ſola omnes actiones & motus internos & externos, (qui omnes ſunt peccata actualia) ciens ac producens, eſt peccatum originale.

## Refut. Heshuſ. Epiſc.

*Falſò infertur hæc concluſio: Suprà enim demonſtratum eſt, Maiorem eſſe particularem, atq; ita quatuor in eſſe terminos, & nullam connexionem in argumento. Quod uerò dicit, omnes actiones & motus internos & externos, quos anima ciet, eſſe peccata actualia, non ſatis diſtinctè adſerit, anima ciet ϛοϱγάϛ, quæ per ſe non ſunt peccatum, ſed per accidens: anima ciet ſomnum, excitat hominem è ſomno, ciet ſitim & famem, quæ non ſunt per ſe actualia peccata: Et in homine renato non omnes actiones quæ naſcuntur à mente, ſunt peccata actualia: Mens pia cogitat de Deo, diſcit uerbum, precatur & gratias agit Deo, hæc non ſunt dicendu peccata actualia, ſed opera bona. Nimis familiure eſt Illyrico, mendacium cum ueritate confundere. Aliud eſt de quo agit Lutherus adſerens, pium in omni bono opere peccare, quod ueriſſimum eſt, quia nullum opus perfectum, ab imperfecto corde proficiſci poteſt.*

## Oppoſitio Manichæorum recentium.

Quæ quidem conſequentia non tantum uera & firma, ſed etiam plana, perſpicua & tam manifeſta eſt, ut a rudibus etiam & indoctis intelligi poſsit. Nam neceſſe omnino eſt, ſi duo extrema conſentiant cum eodem tertio, ea etiam inter ſe conſentire. Nam quis non intelligit? Si origo peccatorum eſt in homine peccatum originale: & anima rationalis eſt origo peccatorum, ipſam rationalem animam eſſe peccatum originale. D. Heshuſius negat Maiorem analyſi 10. Sed cum eam Eccleſia Chriſti, & religioſa fidelium pietas, ipſiq; adeo Synergiſtæ tam diu pro uera habuerint, & eandem D. Wigandus, & Iudex, piæ memoriæ, tam diligenter ubiq; hactenus inculcauerint, atq; ipſa etiam rei ueritas illam nobis dictet: Spero D. Heshuſium, re melius & accuratius deliberata, remiſſoq; aliquantum feruore animi, eandem recepturum tandem, neq; rei manifeſtæ, & ſanctæ ac inuictæ ueritati obſtinate repugnaturum,

naturum, daturumq; aliquid Eccleſiæ ſaluti, & pijs piorum fra-trum uotis ac precibus.

## Refutatio Heshuſ. Epiſ.

*Conſequentia tam manifeſtè falſa eſt, ut à quouis pio liquidò deprehendi poßit error. Non enim duo extrema conſentiunt in uno tertio: Sed quatuor ſunt termini in argumento, atq; ita Scopæ diſſolutæ, & uerè conſequentia à baculo ad angulum: ſomniat Illyricus duo extrema, uidelicet, peccatum Originis, & cor hominis in tertio conuenire, uidelicet, eſſe fontem, actualium peccatorum: Sed hallucinatur: Nam eſſe fontem peccatorum actualium, alia ratione dicitur de peccato Originis, alia ratione de corde. Quando cor dicitur fons peccatorum actualium, monſtratur ipſa praua ſubſtantia gignens impuros motus. Cùm uerò de peccato Originis dicitur quòd ſit fons, cauſa monſtratur propter quam ſubſtantia malè agit. Nec ſanè quæ aliquomodo ſaltem, & non per omnia conueniunt in uno tertio, mox per omnia inter ſe conſentiunt. Alexander fuit Monarcha, & Nero fuit Monarcha: Ergone Nero per omnia fuit ſimilis Alexandro? Bone Deus, quanta uis eſt falſæ opinionis, ita ut omnem penè ſenſum communem auferat. Sed quia Illyricus puppim & proram habet in ſua controuerſia, hoc argumentum, quod hic repetitur, non pigebit & me repetere ſolutionem.*

*Origo peccatorum in homine eſt peccatum originis.*
*Anima rationalis eſt origo peccatorum.*
*Ergo ipſa anima rationalis eſt peccatum Originis.*

*℞ Nego conſequentiam & ratio eſt: quia ex puris particularibus nihil ſequitur. Maior enim eſt particularis, aliquid quod eſt Origo peccatorum in homine, eſt peccatum Originis, ſed non omne: Nam & cor eſt Origo peccatorum in homine: hæc plana, perſpicua & certa ſunt. Quod dicit Illyricus, me negare Maiorem in analyſi 10. Sciat lector, me negaſſe diſertè cum ſigno uniuerſali: Siquidem falſißima eſt, & pugnat cum dicto Chriſti Matth. 15. Nimis uerò temerè adſerit idem Illyricus, quod Eccleſia Chriſti, & religioſa fidelium pietas, Doctor VVigandus, Iudex, adeoq; ipſi Synergiſtæ tam diu pro uera habuerunt propoſitionem: Origo peccatorum actualium, eſt peccatum Originis: Vera Chriſti Eccleſia*

non

*non amplectitur ea quæ diſsident à ſacra ſcriptura: & religioſa fidelium pietas, ſolida fundamenta opinionum in ſacra ſcriptura quærit. Vbi uerò ſcriptura cum ſigno uniuerſali dicit: Quicquid eſt fons uel origo peccatorum actualium, id eſt peccatum Originis: Non ſuperſtitioſè flagito uerba, ſententiam hanc uniuerſalem & fundamentum eius. Nec VVigandus ſic eſt locutus, quod ego ſciam cum ſigno uniuerſali: Quid Synergiſtæ, pro uero & falſo habeant, mea nihil refert: non pendeo ab illis. Opinionis, quæ tanti momenti, ſolida & perſpicua fundamenta monſtranda ſunt in ſacra ſcriptura. Rei ueritas non dictat nobis hanc ſententiam, quam urget Illyricus. Nam Chriſtus qui eſt ueritas, diuerſum dicit, uidelicet, ex corde egrediuntur peccata: Sed cor non eſt peccatum Originis, quia eſt conditum à Deo, peccatum Originis eſt à Satana: Ergo non omne ex quo egrediuntur peccata actualia, eſt ipſum peccatum Originis.*

*Ego itaq; ſpero, Heshuſium, qui controuerſiam & argumenta Illyrici in timore Dei & mediocri diligentia, examinauit & expendit: neq; nimio feruore animi impellitur ut ab Illyrico diſſentiat: Sed propter conſcientiam & mandatum Dei, adſtipulatur ueritati & contra dicit manifeſto errori, nunquam adſenſurum pernicioſo commento Illyrici, quòd ipſum cor hominis ſit peccatum Originis: Hæc enim corruptela ut pugnat cum tota ſacra ſcriptura: ita eſt contumclioſa in Deum fabricatorem, ſuſtentatorem & ſaluatorem cordis hominis. Et quia Heshuſius Chriſto omnia, Eccleſiæ & piorum fratrum uotis plurimum ſe debere agnoſcit, religione tenetur, ut conſtanter adſerat illibatam ueritatem congruentem ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis, & alacriter contradicat errori contumelioſo in Deum & turbanti concordiam Eccleſiæ.*

## Oppoſitio Manichæorum recentium.

### *Secundum Argumentum, quod uſurpat Lutherus in Comment: in Gene. fol. 46.*

Quod in homine fuit imago Dei, ſeu Originalis iuſtitia, id ſequitur etiam eſſe in eodem imago Diaboli, ſeu originalis iniuſticia. Lutherus in comment: in Gene: fol. 47.

Vbi hanc Maiorem ponit tanquam certam (ut eſt) & indubitatam. Contrariorum enim eadem eſt ratio & diſciplina.

## Refut. Heshuſ. Epiſc.

Simpliciter falſa eſt hæc Maior, & iniuria fit Luthero, quòd illi tam abſurda ſententia adſcribitur. In eo loco quem falsò citat Illyricus in Gen. non extant hæc uerba, ac ne ſententia quidem. Rectè diſputat & probat Lutherus, iuſticiam originalem fuiſſe homini connaturalem, & naturalia poſt peccatum non manſiſſe integra Rectè etiã hoc adſerit Lutherus, ex magnitudine peccati originis colligi poſſe, quid fuerit imago Dei in homine. Nam contraria contrarijs illuſtrantur. Sed nullo modo hoc dicit Lutherus, quod illi Illyricus adfingit nimis temerè, & per ſe falſa eſt ſententia quam ille ut indubitatam, uenditat: Videlicet, quod in homine fuit imago Dei, ſeu originalis iuſticia, id nunc in homine eſſe imaginem Satanæ, & originalem iuſticiam: Quæ tandem dementia eſt ſic loqui in Eccleſia? Sapientia, iuſticia, libertas & uita fuerunt imago Dei in homine, & originalis iuſticia, teſte Paulo, Ephe. 4. Induite nouum hominem, qui conditus fuit ſecundũ Deum, uel ad ſimilitudinem Dei in iuſticia & ſanctitate uera. An ergo nunc poſt lapſum id ipſum, uidelicet, ſapientia, iuſticia, libertas & uita ſunt imago Satanæ, & iniuſticia originalis? quid tandem eſt delirare, ſi hoc non eſt? Adeòne nihil penſi habebit, quid effutiat in Eccleſia de tantis rebus? Ac minus peccatum eſſet, ſi ut ſuum ſomnium narraret: nunc cùm Luthero tam inſulſam & ineptam ſententiam adfingit, grauiore eſt dignus reprehenſione. Et perbella eſt ratio propoſitionis: Contrariorum eadem eſt ratio. Itàne? Fides & diffidentia ſunt contraria: fide iuſtificamur: ergo & diffidentia. Iuſticia eſt à Deo, ergo & peccatum, ſunt enim contraria? Valde magna igitur reſtrictione eget iſta uſitata ſententia. Et cur Illyricus ſua non probat expreſſo Dei uerbo?

Diuino tandem quid balbutiens dicere uelit, ſicuti ſubſtantia animæ fuit iuſticia originalis & imago Dei, ita eſt ſubſtantia animæ peccatum Originis, & imago Satanæ: Reſpond. Antecedens eſt falſum: Nam imago Dei fuit non ipſa ſubſtantia animæ, ſed iuſticia, ſapientia, libertas & uita connaturalis animæ. Teſte Paulo Ephe. 4. & ut maximè concederem antecedens, tamen

*men conſequens inde non poſſet elici, eo quòd Satan non eſt conditor. Deus condidit ſubſtantiam animæ: Sed Satan non creat animas. Ergo ipſa anima non poteſt eſſe imago Satanæ, ſeu peccatum Originis.*

## Oppoſitio Manichæorum recentium.

Nam ut in Cap. 2. Gene: fol. 32. Commentario latino tradit Luth. Imago Dei ſeu iuſticia originalis quæ omnem aliam iuſticiam operata fuiſſet in hominibus, nempe fons & origo omnis iuſticiæ actualis, demonſtrat, quid ſit imago Satanæ, ſeu iniuſticia originalis. Et cum recta ratione & uoluntatē bonam & ſummam dignitatem corporis conſideramus in contrario, tum æſtimari aliquo modo malum peccati originalis poteſt, ut patet ex eodem Comment. Cap. 3. fol. 40. Et cæteri ſcriptores pleriq; omnes iuſticiam illam originalem & hanc noſtram iniuſticiam, ſeu peccatum Originale eodem modo inter ſe opponere ſolent.

## Refut. Heshuſ. Epiſc.

*Et hæc propoſitio eſt falſa, ac refutatur Teſtimonio Pauli Eph. 4. ſuprà citato, in quo adfirmat, iuſticiam & ueram ſanctitatem fuiſſe imaginem Dei, non ipſam animæ ſubſtantiam. Certè fatendum eſt, amiſſam eſſe imaginem Dei per peccatum, quo ad ſpiritulia: Animæ uerò ſubſtantia licèt corrupta ſit, tamen manſit, ut membra in corpora manſerunt: Hæc ſunt Lutheri uerba. Manet quidem natura, ſed multis modis corrupta: Sic manent in natura membra eadem. etc. Ratio quæ ab Illyrico attexitur extra oleas currit. etc, Ex originali iuſticia colligi & demonſtrari poteſt quid ſit peccatum Originis: Et ex pecato Originis colligi poteſt, quid fuerit imago Dei: Nam contraria contrarijs oppoſita, magis illuceſcunt. Sed ne per febrim quidem ſomniauit Lutherus: Id quod antea fuit iuſticia originalis, ſeu imago Dei id nunc eſſe imaginem Satanæ, & peccatum origiois. Amentia eſt in Ecclisia Dei ſic delirare: quò tandem te abripit erroris ſpiritus Illyrici?*

## Oppoſitio Manichæorum recentium.

Ipſa enim natura Adami fuit diligere Deum, credere Deo, agnoſcere Deum, atq; hæc tam naturalia fuere in Adamo, quam naturale eſt oculum uidere: ut docet idem Lutherus in eodem Comment. Gene. fol. 47. qui & ſæpius repetit, iuſticiam illam originalem fuiſſe uere naturalem homini. Et in German: Concionib. ſuper Gene. Cap. 1. Intelligi uult imaginem Dei, non fuiſſe inanem quandam picturam, aut rem mortuam, ſed uiuum quiddam, rectiſsimeq; a Deo creatum & factum, quod tantæ prudentiæ ac ſapientiæ fuerit, ut recto imperio regere potuerit piſces, uolucres, & omnes animantes in terris, non ſecus ac ipſe Deus omnia iuſtiſsime & rectiſsime gubernat. Et hanc imaginem Dei quam pluribus hoc loco deſcripſit. Idem Lutherus una uoce ſuoq; uero nomine appellat in diſputatione ſuo de homine Tom. 2. latin. Wittemb. in princ. poſit. 6. & 7. ubi ſignificat, ipſam rationem (quæ merito uocari debebat Differentia eſſentialis, qua conſtituatur homo differre ab animalibus & alijs rebus) fuiſſe illam a ſcriptura ſancta ſuper terram, uolucres, piſces & pecora conſtitutam Dominam. Vnde perſpici & intelligi poteſt, ipſam potiſsimum rationem, ſeu rationalem animam, fuiſſe imaginem Dei. Nam primum dicit, id quod dominatum ſit recto imperio cæteris animantibus, fuiſſe imaginem Dei, deinde addit. eam dominam fuiſſe rationem, Ergo conſequitur, ipſam rationem ſeu rationalem animam, fuiſſe imaginem Dei. Porro Corpus etiam Doctrrnæ ex ueteri Teſtamento fol. 402. indicat, Imaginem Dei de tota hominis ſubſtantia intelligendam eſſe, quoniam totum hominem ad imaginem Dei creatum dicit ſcriptura: uultq; non tantum animam, ſed etiam hoſpitium animæ, nempe corpus, aliqua ex parte fuiſſe imaginis Dei capax: quam ſententiam repetit D. Wigandus in ſuo γνῶθι σεαυτὸν. fol. 23. ubi monet, in doctrina de imagine Dei, integram hominis ſubſtantiam cum donis ſuis conſiderandam eſſe. Et in Corpore Doctrinæ ex No. Teſta. fol. 610. dicitur: ipſum hominem conditum fuiſſe uiuum & uiſibile exemplar Dei, & ibidem recte ipſa illa prima integra natura pro imagine Dei ſumitur: nam docent, geſtare imaginem Dei. idem eſſe, quod habere naturam integram & immortalem, congruentem cum uoluntate diuina, Deniq; nunquam (quod ego ſciam) dubitatum fuit, ipſum hominem, ipſamq; precipue rationem ſeu rationalem animam fuiſſe imaginem Dei: Cum quidem hoc tam diu in Academijs etiam Lutheranis, & in Scholis Philoſophorum doceatur, neq; unquam quis hoc aut negauerit, aut reprehen-

derit,

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-329246-p0026-5

derit, aut contrarium probauerit. Anima autem hominis inprimis ſecundum potiorem ſui & optimam partem (quam rationem ſeu mentem adpellat) fuit imago Dei ſeu originalis iuſtitia. Nam ipſa anima rationalis omnem actualem iuſticiam, & omnia bona & diuina opera tanquam uberrimus fons fudiſſet, & actiones & uirtutes præſtantiſsimas, & cum lege Dei conuenientiſsimas eidemq; ſimilimas produxiſſet.

# Refut. Heshuſ. Epiſc.

*Primùm non ſatis candidè facit Illyricus, quod allegando Lutherum non ipſa Lutheri uerba ponit, ſed ſubſtituit ſua: loco citato Lutherus nec imaginem Dei, nec imaginem Satanæ nominat. Sed dicit, peccatum Originale demonſtrat, quid fuerit iuſticia originalis, & econtra. Hæc longè commodius dicta ſunt, quàm quòd poſuit Illyricus: Quod in homine fuit imago Dei, id nunc eſt imago Satanæ. Hæc abſurdiſſima eſt ſententia. Suſpicor autem hoc uelle Illyricum, ſicuti ipſa anima recta fuit imago Dei, ita nunc poſt lapſum anima corrupta eſt imago Satanæ: Sed ut hæc ſententia eſt falſiſſima, ita Lutheri Teſtimonijs minimè comprobatur. Immo, Lutherus expreſſè atq; disertè docet, peccatum Originis eſſe donorum priuationem & amiſſionem pa. 40. b. Itẽ, his uerbis deſcribit peccatũ Originis pa. 41. a. ſicut enim ratio ignorantia multiplici oppreſſa eſt: ita uoluntas nõ perturbata ſolùm, ſed auerſa à Deo, & inimica Dei eſt, quæ cum uoluptate ad malum fertur. Item, pa. 32. b. Sed peccatum Originis uerè eſt totus lapſus humanæ naturæ, quòd eſt intellectus obſcuratus, ut non agnoſcamus amplius Deum & uoluntatem eius, ut non animaduertamus opera Dei: deinde quòd etiam uoluntas mirè eſt deprauata, ut non fidamus miſericordiæ Dei, ut non metuamus Deum, &c. Ex his perſpicuis locis liquidò conſtat, quòd Lutherus non adfirmat, ipſam animam, ſeu rationem, ſeu cor hominis eſſe peccatum Originis, ſed totius animæ, mentis & uoluntatis corruptionem, deprauationem, tenebras, malitiam, auerſionem à Deo. Item donorum priuationem & dignitatis prioris amiſſionem. Ac rectiſſimè contra ſophiſtas diſputat Lutherus, naturalia hominis non manſiſſe integra, ſed penitus corrupta eſſe, & inprimis mentem & uoluntatem eſſe auerſa à DEO, & inimica DEO. Illyrici uerò nouo commento non ſolùm non patrocinatur Lutherus, ſed etiam perſpicuè contradicit; ſiquidem fatetur, manſiſſe naturam, ſed eam*

corruptam eſſe : Et, cor noſtrum à Deo eſſe, malitiam verò à Satana : Et quòd diſertè dicit, ipſam priuationem donorum, & quidquid deperditum eſt de ijs conditionibus, quas Adam in integra natura habuit pa 33. à. Item, lapſum ab imagine Dei in odium & contemptum Dei pa. 41. a. eſſe peccatum Originis.

Rogo lectorem, ut inſpiciat Lutheri propoſitiones, & facilè deprehendet, Illyricum non candidè citare Lutheri uerba. Sic habet propo. 21. Homo eſt creatura Dei carne & anima ſpirante conſtans, ab initio ad imaginem Dei facta ſine peccato, ut generaret, & rebus dominaretur, & non moreretur. Hæc Lutheri uerba ita contorquet Illyricus, id quod dominatum ſit recto imperio cæteris animantibus, fuiſſe imaginem Dei : Hæc audacia indigna eſt Theologo. Lutherus ſimpliciter dicit, hominem eſſe conditum ad imaginem Dei, & conſtitutum Dominum mundi, iuxta Moyſen: non diſputat hoc loco quid ſit ipſa Dei imago, quod Illyricus unicè urget : Nec dicit, rationem ipſam eſſe imaginem Dei : Sed dicit, rationem rectam fuiſſe conſtitutam dominam ſuper terram. Fraude igitur non caret Illyrici Syllogiſmus, quem ſic ponit.

Id quod dominatum ſit recto imperio cæteris animantibus, id fuit imago Dei.

Sed ratio fuit domina conſtituta ſuper terras.

Ergo ipſa ratio, ſeu rationalis anima eſt imago Dei.

℞ Maiorem nego, neq; ea ponitur à Luthero, ſed ab Illyrico inuenta eſt. Cùm quærimus, quid propriè fuerit imago Dei in homine Adam, ad interpretem Paulum reſpiciendum eſt : qui dicit, hominem ſecundum Deum fuiſſe conditum in iuſticia & ſanctitate uera. Iuſticia erga ipſa & ſanctitas fuerunt imago repreſentans Deum, non ipſa eſſentia uel corporis uel rationis. Manſit ſubſtantia corporis & animæ poſt lapſum : & non geßit imaginem Dei, ſed terreni hominis: Erga ipſa ſubſtantia non fuit ipſa Dei imago. Nos ſanè fatemur cnm Luthero, iuſticiam originalem fuiſſe Adamo connaturalem, & non externum ornamentum ſuperadditum : Fatemur, imaginem Dei non fuiſſe inanem quandam picturam, aut rem mortuam, ſed uiuum quiddam, &c. Sed quid hoc ad errorem Illyrici faciat, quo contendit, ipſam animæ ſubſtantiam fuiſſe imaginem Dei, non uideo.

Quid

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-329246-p0028-7

*Quid ſentiat & doceat D. VVigandus de imagine Dei, teſtantur eius propoſitiones de homine, in quibus diſertè inquit: Imago Dei conſiſtit in his 4. In ſapientia, in iuſticia, in dominio, & in uita æterna. Quòd alibi dixit, in doctrina de imagine Dei, integram hominis ſubſtantiam cum donis ſuis conſiderandam eſſe, nihil patrocinatur Illyrico, non enim hoc uult, quòd ipſa ſubſtantia animæ & corporis, ſit imago Dei: Sed quod ipſa naturæ integritas, & excellentia dona in natura lucentia, fuerint imago Dei. Certè Adam per peccatum non ſtatim amiſit ſubſtantiam corporis & animæ, manſit enim idem indiuiduum: imaginem uero Dei amiſit, Ergo ipſa ſubſtantia corporis & animæ non fuit ipſa Dei imago.*

## Concluſio Manichæorum recentium.

Anima igitur hominis, in primis ſecundum præſtantiſsimam ſui partem, nempe rationem, eſt imago Diaboli, ſeu originalis iniuſticia, aut originale peccatum. Quod tradit Luther: in Ger. Concionib. ſupra 1. Cap. Geneſin, ubi ait. Homo neceſſario eſt aut imago Dei, aut imago Diaboli, &c. Et docuerunt nos idem ſæpius nominata corpora Doctrinæ, Vt ex ueteri Teſtamento fol. 415. ubi dicitur, homo tetram laruam Diaboli induiſſe: Et paulo poſt eodem Par. deteſtandam laruam Diaboli & fol. 426. eadem appellatio repetitur, ut ex Methodo D. Wigandi iam edocti omnes ſunt, amiſſam imaginem Dei in homine, & ſubſtitutam imaginem Diaboli, & idem in ſuo γνῶθι σεαυτόν, nihil tam inculcat quam hoc: quod (ut ipſe fol. 50. loquitur) imago Dei poſitiua in homine, magna ex parte extincta & ablata ſit & ſucceſſerit poſitiua imago, ſeu potius larua Satanæ. Et in tractatu ſuo de libe. arbitrio, fol. 172.

## Reſut. Heſhuſ. Epiſc.

*Falſiſsima eſt hæc concluſio, ut & præmiſſæ ſunt falſæ: Et quidem contumelioſum eſt in Deum conditorem, dicere, quòd anima hominis ſecundum præſtantiſsimam ſui partem nempe rationem, ſit imago Satanæ. Deus enim adhuc creat, conſeruat, & propagat animas: Sicut in Catechiſmo dici-*

mus: Credo quòd Deus me creauit cum omnibus creaturis, quod corpus & animam, oculos, aures, &c. mihi dedit, & adhuc ſuſtentat. Quàm horrendum eſt autem cogitare, quòd Deus creet imaginem Satanæ: deteſtanda eſt igitur iſta blaſphema opinio.

Quod uerò ad ipſam phraſin attinet: Homo lapſus eſt imago Satanæ. Primùm conſtanter dico, hanc phraſin non reperiri in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis. Moſes dicit, Adam genuit Seth ad imaginem ſuam: Et Paulus opponit inter ſe imaginem Cœleſtis, & imaginem terreni hominis. Et ſanè, alia eſt ratio lapſorum angelorum, quibus nulla ſpes eſt reliqua reſipiſcentiæ: alia lapſorum hominum, quibus mediator eſt conſtitutus.

Quod ſi tamen ſobriè intelligatur, nec reijcio nec damno hanc phraſin, qua Lutherus & alij ſynceri doctores Eccleſiæ ſunt uſi, uidelicet, hominem poſt lapſum gerere imaginem Satanæ, hoc eſt, prauitate & peccato repreſentare & imitari Satanam. Quod uero Illyricus contendit, ipſam ſubſtantiam animæ eſſe imaginem Satanæ, hoc nec Lutherus unquam dixit, nec in Eccleſia ferendum eſt: Ipſa enim fœditas peccati, ipſa malitia, adfuſa & inſtillata animæ, non ipſa ſubſtantia repreſentat parentem Satanam. Lutheri teſtimonio clarißimè refutatur Illyrici commentum: Siquidem diſertißimè adfirmat, Imaginem Dei ſignificare non ſubſtantiam (ut Illyricus contendit) ſed ſapientiam, uirtutem, dilectionem: Verba Lutheri ponamus: in Concione in Geneſin: Cap. I. Tom. VVittemberg. 5. pag. 17. So iſts nu hie ſouiel geſagt / das der Menſch am anfang geſchaffen iſt ein bilde / das Gott ehnlich war / vol Weißheit / Tugend / vnd liebe / ꝛc. Vnd kurtzumb / im guten erſoffen / vnd on alle böſe luſte / gleich wie Gott. Alſo / das er vol Gottes war. Hic liquidò apparet, quid ſenſerit Lutherus de Imagine Dei: quòd uidelicet, non fuerit ipſa hominis ſubſtantia, ſed ſapientia, iuſticia, ſanctitas & dilectio: Item, eſſe templum Dei: Multo minus ergo intellexit Lutherus imaginem Satanæ, de ipſa mentis humanæ ſubſtantia. Nec VVigandus, qui ſuorum uerborum interpretes uiuus eſſe poteſt, unquam uoluit ſic accipi hanc phraſin ſuam, quòd ſubſtantia animæ eſſet imago, uel larua Satanæ.

Oppo-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-329246-p0030-7

# Oppoſitio Manichæorum recentium.

Eandem appellationem & doctrinam uſurpant Theologi in ſupplicatorijs libellis ad conuentum Naumburgenſem. fol. 116. ubi inquiunt. Fit igitur ut tales Doctores ſentiant, Chriſtum eſſe tantum medicum ægrotorum, non etiam ſuſcitatorem mortuorum, & hoſtium omnipotentis, Dei reconciliatorem & potentem refectorem aut refuſorem ex imagine Diaboli, in qua homo fuerat in primo lapſu transformatus in imaginem Dei, ad quam pij quotidie magis atq; magis reformantur. Non poterit igitur hoc argumentum ullo modo ſolui, ſine abnegatione & condemnatione prioris iſtius doctrinæ, & ſine uiolatione ſacrarum literarum, & doctrinæ Lutheranæ: & deniq; ſine ingenti & letifero damno Eccleſiæ Chriſti.

# Refut. Heshuſ. Epiſc.

*Cùm Illyrici nouum & abſurdum dogma nondum agitatum eſſet in Eccleſia, minus attentè phraſes illæ Illyrici (in imaginem Satanæ, homo transformatus eſt) obſeruatæ ſunt à Synceris doctoribus: Nunc cùm manifeſtum ſit, quò tendat, neceſſe eſt illi contradici, & ſingula accuratius examinari. Falſa eſt phraſis: homo eſt in primo lapſu in imaginē Satanæ transformatus. Diabolus enim nec transformator, nec conditor, nec figulus eſt, ut impiè loqui ſolet Illyricus in hac controuerſia.*

*Nos ſanè ex animo credimus & confitemur, Chriſtum Ieſum non tantum eſſe medicum ægrotorum, ſed etiam uiuificatorem mortuorum, reparatorem deſtructorum, & transformatorem corruptæ imaginis Dei in homine: nec extenuamus peccatum Originis, nec minuimus gloriam Ieſu Chriſti, qui totam hominis naturam in peccatis mortuam, prorſus deſtructam, Diaboli captiuam, & in infernum demerſam liberat, redimit, uiuificat, purgat, ſanat & ſaluat: Nec diſcedimus à priore noſtra confeſſione, in qua damnauimus Papiſtarum & Synergiſtarum errores de libero arbitrio. Illyrici uerò nouum & falſum dogma ſimiliter improbamus, & ex uerbo Dei refutamus, ut pernitioſum Eccleſiæ.*

# Tertium Argumentum recentium Manichæorum.

Id quod operatur in homine omnem concupiſcentiam, & quod quaſi germinat, producit, fundit, ac facit omnia alia peccata, eſt peccatum originale: teſte Luthero, in poſtil. Eccle. parte 1. Dominica Circumciſ.

Anima autem ſeu ipſa natura aut ſubſtantia nostra formalis, ſeu (ut Theologice dicitur) Cor humanum operatur omnem in nobis concupiſcentiam, & per corpus, ac ſerua iniuſticiæ membra, tanquam per inſtrumenta ſua facit ac agit, uel cogitando uel appetendo, uel loquendo, uel agendo, omne id quod agitur in & ab homine omnes uidelicet actiones, ſeu omnia peccata actualia interna & externa, omnes cogitationes, appetitiones, dicta, facta blaſphemias & inimicitias & alia omnis generis peccata contra legem Dei. Anima igitur, ſeu ipſa natura, ſeu ſubſtantia noſtra formalis, eſt peccatum originale.

## Reſut. Heshuſ. Epiſc.

*Eſt prorſus idem argumentum quod primo loco poſuit Illyricus, & facilè adparet, eum omnis uictoriæ & ſpem & palmam ponere in hoc uno argumento: Sed plana & ſolida eſt ſolutio. Ex puris particularibus nihil ſequitur. Maior enim particularis eſt. Non omne id quod operatur in homine omnem concupiſcentiam, & fundit omnia peccata, eſt peccatum Originis. Vtroq; enim modo loquitur Scriptura: quòd & cor fundat, & proferat peccata Matth. 15. Et, quòd peccatum habitans in homine, gignat & fundat omnia peccata actualia. Illyricus non audet ponere ſignum uniuerſale in Maiore: Particularis eſt enim. Ideoq; nihil concludit. Ipſa repetitione & inſulſa uerboſitate, quæ nec uſitata eſt in argumentationibus, nec neceſſaria, imò obſcurat & inuoluit rem, & impedit lectoris non exercitati iudicium, prodit ſuam futilitatem & inſidias.*

## Oppoſitio Manichæorum recentium.

Vnum autem hoc præcipue hic obſtat Antagoniſtis Illyri- ci, quod uidelicet, ſi credatur, rationem, ſeu animam rationalem eſſe peccatum Originale, aſſeri ſimul uideatur Deum eſſe autorem peccati: Cum tamen eodem ipſi (ſi hic crimen aliquod eſt) con- demnentur crimine. Nam docent, ipſam animam, ipſam naturam, ipſum cor humanum, uere eſſe cauſam efficientem, fontem fonti- um & originem peccatorum, quod idem eſt quod peccatum Ori- ginale: nam hoc eſt origo peccatorum. Et hic certe non minus contra ipſos, quam contra Illyricum argumentabitur, qui uolet.

Anima eſt cauſa, & fons omnium peccatorum.
Anima eſt a Deo.
Ergo. Et cauſa & fons omnium peccatorum eſt a Deo: Et per conſequens, Deus eſt autor peccati.

